Popta

DISSERTATIO

HISTORICO-MEDICA INAUGURALIS.

Ch. Gravel

DISSERTATIO
HISTORICO-MEDICA INAUGURALIS
DE
MORBIS EPIDEMICIS, QUI IN URBE ET REGIONE GRONINGANA TRACTUQUE FRISICO VICINO, A SAECULO XIII AD SAECULI XVIII FINEM, GRASSATI SUNT,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HOFSTEDE DE GROOT,
Theol. Doct. et in Facult. Theolog. Prof. Ordin.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,


IN ACADEMIA GRONINGANA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO OMNIUM EXAMINI OFFERT

SICCO PETRUS POPTA,
Harlinga-Frisius.

A. D. XXIII JUNII MDCCCXXXVIII. HORA XI.
IN AUDITORIO JURIDICO.



GRONINGAE,
Apud Viduam M. van HEIJNINGEN BOSCH et FILIUM.

PATRI OPTIMO ET CARISSIMO,

VIRO DOCTISSIMO,

P. POPTA,

Med. Doctori.

SACRUM.

PRAEFATIO.

Academiam relicturus, studiis ad metam perductis, avide hanc arripio occasionem, ut grato, quod mihi incumbit, defungar officio, publicas hîc agere gratias Vobis, Praeceptores Clarissimi S. E. Stratingh, A. A. Sebastian et J. Baart de la Faille! pro egregiis vestris institutionibus, quibus mihi in hac Musarum sede frui licuit, et praecipue Tibi, Vir Clarissime S. E. Stratingh, maxime Venerande! pro tot tantisque erga me benevolentiae documentis et auxilio, quod mihi, uti semper, etiam in hac Dissertatione conscribenda praebuisti. Horum omnium recordatione me Vobis maxime devinctum, at imparem sentio, qui vestra in me collata beneficia, eâ qua decet ratione, umquam remunerarer. Longam et laetam adhuc Vobis restare vitam, in Academiae gloriam, etiam atque etiam spero.

Omnino etiam Vobis, Viri Clarissimi J. G. ERMERINS *et* N. MULDER! *quibus tanta debeo, gratum obtestor animum pro plurimis amicitiae testimoniis et lectionibus egregiis, quibus uti multa mihi fuit occasio in Athenaeo illustri Franequerensi.*

Nec non tui memoria mihi semper est laeta, Vir Doctissime J. H. A. WEYTINGH! *qui in addiscendis litteris humanioribus dux mihi semper exstitisti expertissimus et amantissimus; accipias et meas pro hisce pias gratias.*

Vos tandem etiam Commilitones conjunctissimi et Amici! ex sincero et grato animo valedico, et opto, ut omnia Vobis prospere succedant, neque mei, vestrum numquam oblituri, sitis immemores.

DISSERTATIO
HISTORICO-MEDICA INAUGURALIS

DE

MORBIS EPIDEMICIS, QUI IN URBE ET REGIONE GRONINGANA TRACTUQUE FRISICO VICINO, A SAECULO XIII AD SAECULI XVIII FINEM, GRASSATI SUNT.

Momentosum omnino est tum doctrinae, cum arti medicae, quae adeo experientia aevorum nituntur, ut inquiramus in morbos, qui a pristinis temporibus nostris in regionibus grassati sunt. Talis Epidemiarum historia multa nos docere valet de morborum hisce in locis maxime familiarium et frequentium origine et natura, nec non de mutationibus, quas subierunt; quae omnia adeo utilia, imo necessaria sunt ad accuratam horum morborum cognitionem et curationem, ita ut non satis repeti possint praestantissima de morborum epidedemicorum studio praecepta, quae nobis reliquit

Medicinae Pater HIPPOCRATES, aliique recentiores seduli Naturae observatores HUXHAMUS, SYDENHAMUS etc., tam eximie secuti sunt. Epidemiae quippe temporibus praeterlapsis observatae non raro exempla praebent admodum fructuosa hodierno Medico, quorum ope similes morbos nunc exortos facilius cognoscere et curare possit. Ab altera vero parte ipsa morborum cum temporibus variatio, cui morbi epidemici etiam sunt obnoxii, imo cujusvis Epidemiae morborum, alias similium, propria indoles ipsum attentum reddere debet et circumspectum in applicandis iis, quae experientia priscorum temporum probavit, ad morbos nostrae aetatis.

Si consideremus insignem, quam inprimis incolarum vivendi ratio in nostra patria subiit mutationem, jam concludere licet, ideo etiam multos morbos indolem aut habitum suum mutavisse. Illud autem accuratius indagare sibi proposuit Clar. THYSSEN (jam ante aliquot annos morte praematura arti studiisque medicis ereptus) opere suo egregio, in quo tradidit morborum patriae historiam, ratione simul habita soli naturae et incolarum vivendi generis (1); et revera non parum erga nostram patriam de scien-

---

(1) Sub titulo, *Geschiedkundige beschouwing der ziekten in de Nederlanden, in verband met de gesteldheid des lands en de leefwijzé der inwoneren*, door H. F. THYSSEN, Amsterdam, 1824. Primam

tia et arte medica meritus est utilissimo hoc, qui omnino desiderabatur, labore. Multa haec nobis offert historia, quae scitu non solum sunt dignissima, sed nostros morbos omnino illustrare valent. Ex ea revera comperimus, multos morbos indolem et faciem mutavisse; alios, qui olim frequentes erant, nunc rarius occurrere; imo nonnullos evanuisse, quin contra novos prodiisse. Ita, si ad nonnullos hujusmodi morbos attendamus, patet, mala Scorbutica a primis cognitis temporibus in nostra patria, ob soli et climatis naturam, jam endemice viguisse, at cibi rudioris magis animalis, inprimis saliti usu eo magis ad aevum XVIII usque increvisse; dein vero, aptiore vivendi et alendi modo, inprimis victu vegetabili uberiore, multum decrevisse. Sic Calculus, ex abusu vinorum et inpri-

---

huic operi ansam dedit quaestio hac de re a Societate Harlemensi proposita, quae uberiores tulit fructus, quam quaesiverat Societas et praemio ornare sibi proposuerat. (Vid. THYSSEN, O. C. *praefat.*) Eodem tempore de morbis patriae endemicis egit Doct. M. DOLLEMAN, *Disquisitiones historicae de plerisque apud Belgas Septemtrionales Endemiis morbis*, 4to. Amst. 1824. Epidemiarum historiam generalem jam scripserat inter alios F. SCHNURRER, *Chronik der Seuchen*, Th. II, Tüb. 1823, et J. A. F. OZANAM, *Histoire Méd. générale et particulière des Maladies Epidemiques contagieuses et épizootiques, qui ont regné en Europe depuis les temps les plus reculés jusqu'a nos jours*, T. IV, Paris 1817, Edit. altera emend. 1835, quod opus etiam in linguam Germanicam translatum et auctum est a BRANDEIS, ut de aliis hujusmodi operibus, singulares regiones spectantibus, taceam.

mis cerevisiarum acidarum, multo magis familiaris fuit praecedenti aevo; saltem ab eo inde tempore, quo haec potulenta cum potulentis aquosis calidis diluentibus et spirituosis mutata sunt, valde diminutus est. Lepra jam prius introducta, seculo XV hìc etiam satis vulgaris, denuo seculo XVI patriam reliquit. Lues venerea antea, nisi etiam frequentior, saltem vehementior, quam hodie, fuisse videtur. Morbos etiam exanthematicos acutos in genere, cura magis congrua mitiores, et inprimis Variolas cura prophylactica rariores evasisse satis probatur. Contra Scrophulam et Phthisim cum victu tenui, inprimis usu tuberum solani esculenti inter pauperes nimio, nec non Podagram et Arthritidem cum victu ditiorum magis luxurioso, hac nostra aetate increvisse non negandum est. Morbi etiam nervosi cum sensibilitate aucta, propter morum culturam nimiam aut potius perversam et abusum potuum calidorum, numero aucti sunt; dum affectiones Catarrhales et Rheumaticae certo certius, propter hanc sensibilitatem auctam et aëris vicissitudines easdem, quoque diminutae non sunt. Porro docet historia Pestem, Febrem putridam et alios singulares morbos malignos antea hisce in oris saeviisse, qui nunc jam dudum illas reliquerunt; quin hodie prorsus fere ignoti habentur, aut aliis, uti Typho,

magis locum cesserunt; dum Cholera Asiatica plane novi morbi praebuit exemplum recentissimum. Inter omnia vero haec aliave mala Febres inprimis Intermittentes in nostris patriae oris maritimis paludosis, lutosis, sedem servarunt stabilem, ita ut semper endemice et non raro epidemice usque ad hoc tempus grassatae sint. Attamen et in hisce, aeque ac in aliis morbis, quoties grassarentur, pro constitutione inprimis regnante aliisque rebus circumstantibus, multa insuper obtinuit varietas, ita ut nunc indolis essent putridae, nunc inflammatoriae, nervosae, rheumaticae, etc.; et hinc explicanda tam diversa similium morborum curandi ratio, quam Medici in diversis temporis periodis secuti sunt; inde repetenda tot inter se discrepantia et sibi succedentia in disciplina medica systemata.

Haec sufficiant, ut convincamur de utilitate laboris, cujus Doct. Thyssen primus solida jecit fundamenta, quibus Historiae morborum indigenorum aedificium ulterius exstrui poterit. Epidemiae, quae dein rursus nostram patriam invaserunt, novam huic Historiae praebent materiem. Sed etiam certe multa pristinorum temporum adhuc hic inde latent, quae huic contribuere valent. Ita saltem in vetustis hujus regionis monumentis aliisque scriptis nonnulla passim inveniuntur, quae memoratu digna haberi debent,

nec in opere Doct. THYSSEN occurrunt. Operae itaque pretium duxi, ut ad Dissertationem conscribendam, juvenilibus viribus parem, ea quae de morbis Epidemicis, in urbe et regione Groningana tractuque Frisico finitimo olim grassatis, scitu digna et minus cognita eruere possem, colligerem et paucis illustrarem ad horum morborum notitiam, quantum possit, augendam (2). Omne illud, quod ad hanc morborum indigenorum cognitionem aliquid conferre valeat, non inutile nec ingratum esse potest. Quaevis praeterea regio suam habet morborum historiam, quam Medicos, ibi artem exercentes, prae ceteris cognoscere oportet, ita ut omnino de industria quoque nostra tractari mereatur. Obscura et parca sunt quidem etiam plurima, quae hac de re vulgo solum ab historico, artis medicae imperito, adnotata reperimus; densa saepe caligine obtecti ipsi non raro se offerunt morbi pristinorum temporum, sed eam ob causam eo diligentius omnia, quae de hisce nos certiores reddere possint, investigare et in lucem proferre oportet.

Hunc in finem ordinem chronologicum sequi ap-

---

(2) Doct. JOH. GOUT jam quidem disseruit *de morbis regioni Groningo-Omlandicae maxime familiaribus eorumque causis praecipuis*, 1762, Gron., sed de Epidemiis hîc grassatis nullam fecit mentionem.

tius putavi, quam, uti Clar. THYSSEN placuit, singulas morborum species seorsum pertractare. Morbi enim, de quibus hic inprimis sermo erit, pertinent ad febrium classem, quae antiquitus vulgo *pestis* nomine communi appellabantur, nec satis inter se dignosci possunt, ut singulae ad hanc illamve speciem reducantur et suo loco describantur. Magis ideo conducit, ut, Epidemiis juxta temporis ordinem memoratis, dein de industria in genere in hasce redeam et explicem, quae talis expositio nos de morborum indigenorum origine et natura doceat.

Neque soli, climatis et incolarum historiam physicam praemittere opus censui, eo minus, cum ea, quae hac de re Clar. THYSSEN satis ample praefatus est, in genere etiam applicari possint ad hanc regionem; attamen non omittam in Epidemiis singulis enarrandis ad causas naturales aliasve huc spectantes attendere, sed quantum licet eas eruere et exponere conabor, quippe quae praecipue in explicando morborum ortu ac natura nobis lucem suppeditare debent.

1237. Primam Epidemiae in hacce regione Frisiaque reliqua grassatae mentionem factam offendimus ad annum 1237 in Chronicis nostris vetustis, in quibus EMO et MENCO coenobii tunc praeclari, in agri Groningani pago *Werum* seu *Wierum* (hodie *Witte-Wierum*) siti, Ab-

bates ut et Auctor anonymus, qui illud opus continuavit, Viri illius aevi doctrina satis insignes multa scitu et fide dignissima de hujus regionis ipsiusque incolarum conditione seculo XIII memoriae prodiderunt (3). Haec Epidemia oriebatur post hyemem lenem et insequentem, primo humidam et frigidam, sed dein fervidissimam aestatem; multos afficiebat homines, varia sub forma, sed inprimis vexabat clericos, sub forma febris intermittentis quartanae. At audiamus ipsum MENCONEM, de hoc morbo ita disserentem: »Anno »vero »inquit" 1237 praecessit hyems calida et hu»mida, et in hoc distemperata, et ideo secutae »fuerunt infirmitates...... Cum ergo sicut prae»diximus lenis praecessisset hyems, quae deberet »esse potius frigida et humida, aestas vero fuerit »horribiliter humida et frigida usque ad cal. Aug., »postea successit calor et siccitas satis immoderate »et sic fere annus totus fuit distemperatus et natu»rae contrarius. Unde aër corruptus spirando vel »edendo perceptus diversas in hominibus generabat »infirmitates. Secundum Physicos enim malus odor »plus nocet, quam mala diaeta. Et sic varia febris »vexabat ubique homines, et maxime religiosos in»vasit quartana febris. Quotiens enim febris crebes-

---

(3) Prostant in A. MATTHAEI *Vet. aevi Anal.* T. II.

» cit, in religiosis maxime dominatur, forte propter
» diaetae frigiditatem, vel potius, quod filios, quos
» diligit, Deus punit, et flagellat omnem filium,
» quem recipit. Lues etiam in linguis et ungulis
» equorum exorta est. Sed per sanguinis minutio-
» nem sub lingua et super ungulis convaluerunt. Om-
» nia fere semina degenerarunt, foenum habundavit
» propter irriguum. Autumpno itaque prolabente
» cum varia febris vexaret religiosos, in tantum,
» ut per totam Frìsiam vix sufficerent sani ministrare
» infirmis, nec etiam infirmitoria caperent infirmos,
» eodem tempore Reverendus pater Emo piae recorda-
» tionis et clarissimae opinionis apud omnes religiosos
» et seculares sane sapientes typo febrium correptus
» circa festum omnium Sanctorum paulatim coepit
» languescere, et ex abstinentia ciborum, quae fir-
» mum est, ut dicit Hippocrates, contra febrium
» discrasiam remedium, deficere, et colorem vultus,
» quem naturaliter habebat rubicundum, mutare
» ac toto corpore attenuari. Attamen quamvis febre
» exardescente et vires dissipante jam deficeret, vi-
» gorem tamen animi et constantiam mentis felix
» contemplatio coelestium, et provida sollicitudo
» temporalium, et vigilans cura animarum conforta-
» bat, in tantum, ut raro his diebus, quibus ipsum
» febrilis ardor exurebat, post praeambuli frigoris

» incommoda lecto decumberet, sed nunc infirmos » visitans, nunc in claustro constitutos verbo et ex- » emplo confortans et animam sicut verus Pastor de- » ambulabat (4)."

Haec febris, qua Abbas EMO laboravit et tandem viribus exhaustis succubuit, descriptio imaginem nobis offert morbi hucdum satis vulgaris, probatque omnino, febrem intermittentem tunc temporis aeque minus ac nunc morbum ignotum aut novum, sed potius familiarem endemicum fuisse, exortum et praeter modum grassatum, uti admodum verosimile est, etiam secundum Auctoris opinionem, ex soli effluviis noxiis, propter tempestatem, primo humidam et frigidam, at dein ardentem et siccam, solito copiosius emanatis. Quae de Epidemia febris intermittentis ejusque ex effluviis paludosis origine notata attentione satis digna mihi videntur, quoniam apud Clar. THYSSEN de hac febre ipsiusque fonte probabili non prius mentionem factam invenimus, quam anno 1556, auctore FORESTO (5). Illam itaque non prius offendi, magis scriptorum, quam morbi raritati tribuendum erit. Aeque ac ager Romanus, ex soli natura, tam priscis,

(4) Vid MATTHAEI *Anal.* T. II. p. 111, 112. Conf. N. WESTENDORP, *Jaarboek van en voor de Prov. Groningen*, St. I, p. 297.

(5) O. C. p. 113.

quam hodiernis Romanis febrium frequentia infestus fuit, ita etiam nostra regio maritima, lutosa, paludosa non minus olim, quam hodie tales produxerit.

Notandum etiam est, in hac Epidemia simul luem apud equos in linguis et ungulis observatam esse, quae forsan ejusdem erat naturae, ac jam pridem ad annum 1227 (6) ab EMONE, at nulla comitatam Epidemia, sub nomine putrescentiae harum partium, quae sanguine fuso super ungulam sanabatur, descriptam invenimus. Hic morbus forte similis erat ac hodie sub nomine *tongblaar* et *klaauwzeer* cognitus est et inprimis inter boves nonnunquam epidemice grassatur, ita ut posterius malum priori accedere soleat, et etiam simili modo, in primo inflammationis stadio, sanguinis missione in pede super ungulas curatur (7).

Tales aliosve morbos inter animalia domestica jam olim non raros fuisse ex eodem Chronico patet, ad annos 1193 et 1206 (8), dum mox ad annum 1250, et dein ad annum 1272, sermo est de epi-

---

(6) Non anno 1226, uti habet WESTENDORP, O. C. I, p. 272. Vid. MATTHAEI *Anal.* II. p. 87.

(7) Vid. *Handboek der Genees- en Verloskunde van het Vee enz. door* A. NUMAN, bl. 3, 269, 302 et 306.

(8) MATTHAEI *Anal.* II. p. 90.

zootia inter oves, quae jam tunc per septem annos duraverat.

1250. In eodem Chronico ad annum 1250 sub pestis titulo memoratur morbus epidemicus, qui inprimis regionem Groninganam afflixisse videtur post repetitas maris inundationes anni 1246, 1248 et gravem praesertim 1249, ac insecutam frumenti et pabuli inopiam, unde tanta pecudum multitudo moriebatur, ut animalia mortua jacerent in agris et ibi putrescerent, cui rei non parum favebat aestas fervida hujus anni, et ex qua cadaverum animalium putredine morbus nisi originem, saltem tam malignam indolem contraxisse videtur. Sed ut melius judicium de hoc morbo ferri possit, hic iterum adducam ejusdem Antistitis Werumani verba, quae simul nos certiores reddere valent de opinionibus hac de re tunc temporis vigentibus, in quibus clerici, inprimis monachi, solummodo aliqua doctrina erant imbuti et etiam medicinam colebant et exercebant, quemadmodum Vir noster hac in arte et scientia non imperitum se esse probavit.

Postquam itaque Menco locutus est de gravi iterata inundatione anni 1249 et secuta ex inopia frumenti et pabuli pecudum pestilentia, ita pergit: »Anno Domini 1250 similiter prior pars aestatis fuit »nimis sicca, et pestilentia animalium increvit, et

» fere omnia pecora *Silvanorum* (9), quae fuerunt
» priori anno residua, vel ex novo aliis jam mortuis
» empta, moriebantur, et in calore aestivo corpora
» mortuorum animalium computrescebant, et fuit
» ibi foetor intolerabilis, de quo etiam homines cor-
» rumpebantur, quia, ut dicit GALENUS, plus inficit
» aër corruptus, quam etiam cibi corrupti. Alia
» etiam pestis in *Sylvis* in homines consurrexit, quod
» quaedam gutta venenosa oriebatur inter carnem et
» cutem primo ad quantitatem glandis quercini, et
» credebant homines esse punctionem alicujus vene-
» nosi volatilis. Sed qui diligentius examinabant, di-
» xerunt, quod aliquot diebus antequam erumperet,
» poterant sentire distemperantiam, quae quasi de-
» ambulabat per corpus quaerens sibi exitum, et sae-
» pius circa collum super scapulas erupit. Cui autem
» cito abscindebatur primo die, et locus ferro adu-
» rebatur, poterat convalescere. Alioquin infra (i. e.
» intra) septem dies moriebatur, vix paucis inde con-
» valescentibus sine chirurgia. Forte ex corrupto
» aëre, vel aliqua venenosa materia. In his qui ha-
» bebant humores corruptione habiles, in calore ad
» exteriora trahebatur....... Utrum autem haec

---

(9) Per hos intelligit MENCO incolas *Sylvarum*, i. e. locorum syl-vestrium, praecipue tractus Fivelgonici, quae adhuc vulgo *de Woud-streken*, aeque ac incolae *Woldjers*, *Woudlieden* vocantur.

» pestis fuerit ex aëre corrupto de cadaveribus pe-
» corum in *Sylvis* putrescentibus ad solem, vel cibis
» corruptis, vel quod credibilius est ex divino fla-
» gello, Deo relinquimus..... Haec autem ideo
» interposuimus, ut si, quod absit, unquam in fu-
» turis temporibus talis pestilentia ingrueret, maxime
» tempore aestivo corpora talia profundo terrae in-
» fodiantur, ne aërem corrumpant, et hominibus ac
» pecoribus pestem inferant" (10).

Variae itaque hic causae conspirabant ad morbum gravem in hac regione provocandum. Primum inundatio oceani per loca maritima, tum aestas sicca fervidaque et, durante hac, putredo animalis in aliis locis, unde non solum illic effluvia paludosa ex solo argilloso aqua marina imbuto, sed simul etiam hic effluvia animalia copiose formari debuerant. Nihil mirum hinc, non modo febrem intermittentem, uti in praecedente Epidemia, sed aliam malignam, forsan putridam exortam fuisse. Dubito enim, morbum pro peste esse salutandum, ne quidem illam aegritudinem lethalem, quae gutta sic dicta venenosa super scapulas notata Sylvanos affecit. Hanc autem guttam non pro anthrace pestilentiali, sed potius pro

(10) Matthaei *Anal.* II. p. 151 seq. Conf. Ubbo Emmius *Rer. Frisic. Histor.* p. 150. Westendorp O. C. I., 311, 313. *Tegenw. Staat van Stad en Lande*, D. I., bl. 69 seq.

anthrace, seu carbunculo maligno haberem, qualis non raro febres putridas comitari et in epizootiis, ex esu et contactu carnis vel cutis animalium simili pustula maligna aliove morbo contagioso mortuorum, cum hominibus communicari, et in nonnullis regionibus, uti Hungaria et Polonia, ex iisdem causis vel epidemice grassari solet. In hac hujusmodi pustulae malignae specie unica quoque medela habetur excisio (11).

Non possum non hic etiam animadvertere, ipsum MENCONEM ab una parte non praetermittere potuisse, quin in religionis aut potius in clericorum gratiam profiteatur et moneat populum Frisiae liberum et minus, quam clericis placeret, hisce obedientem et indulgentem, primum hujus morbi auctorem esse agnoscendum Deum, populi peccata punientem; — tamen ab altera parte recte perspicere et indicare, putredinem amimalium mortuorum insepultorum proximam et praecipuam fuisse morbi causam, quare addat monitum utilissimum, si in posterum similis inter pecudes accideret lues, cadavera profunde esse infodienda.

1272. Anno 1272 iterum legitur in iisdem Annalibus de fame gravissima in Frisia et Westphalia oborta et

---

(11) Vid. A. G. RICHTER, *Spec. Therapie*, B. VI, p. 343, 355.

hominibus multis lethali, ita ut quidam subito morirentur. Licet itaque non epidemiam provocavisse videatur, tamen non abs re duxi hanc calamitatem hic quoque verbis paullo contractis MENCONIS Abbatis tradere, cum non solum multam spargant lucem in populi patriaeque illis temporibus statum, sed etiam, ex comparatione cum praecedentis aliarumque Epidemiarum causis, de harum primario fonte nos certiores reddere queant. »Eodem anno (1272)," ita ait MENCO, »fuit maxima fames in Frisia, et »per totam Westphaliam, et mortalitas ovium. Mul»ta enim Frisonibus et maxime Orientalibus a Fi»velgonia usque ad Orientem eo anno ad augmen»tum famis accesserunt incommoda. Primo quia »per peregrinos (i. e. cruce signatos, qui in ter»ram Sanctam hujus expugnandi causa abierant) terra »fuit evacuata argento. Secundo, quia propter ni»miam pluviam per quatuor annos nimis modicum »creverat frumentum, et maxime in Silvis, ubi »aliis temporibus solebat abundare, aut etiam in »Threntia, nec secus Emesam, nec alicubi, ad »emendum inveniebatur, nisi in Dacia et Slavia.... »Tertio, quia in odium Emesgonum et Rheydensium »propter suam inobedientiam Dominus Episcopus »(Monasteriensis) nundinas secus Emesam interdixe»rat, et ita Frisones non poterant pecora vendere,

»nec necessaria comparare cum butyro, caseis, et »equis, cum pecuniam non haberent, nec cum »aliis rebus possent habere. Et illi de Dacia et »Slavia pecora eorum et similia non curabant, sed »solam pecuniam sitiebant. Insuper Judices eorum »in quibuslibet civitatibus interdixerunt, ne frumenta »de terris illis deportarentur. Et sic mercatores »tardaverunt, donec ab ipsis Judicibus mediante »pecunia quasi secundo emerentur..... Quarto, »etiam aucta est penuria, quod jam septem annis »de loco ad locum serpserat pestilentia pecorum, »et plurima moriebantur. His vero duobus annis »fere ubique moriebantur oves, et ideo non po- »terant homines lacticiniis famem sublevare, sicut »quandoque solebant, et sic tantum fuit fames ag- »gravata, quod modius magnus ad tempus circa »Penthecostem vendebatur pro XVIII solidis ster- »lingorum paratorum denariorum ad manum, in »Menterawalda (*Wold-Oldambt*) unus modius pro »IV marcis sterlingorum ad inducias anni....... »Praedia autem eo tempore quasi nullius erant »pretii, maxime in locis humilibus, ut in Walter- »sum, et eorum confiniis propter subversionem ave- »nae, nec inveniebantur emptores propter defe- »ctum pecuniae. Ideo tantum invaluit fames, quod »multi moriebantur fame. Et plurimi erant mori-

» turi, si claustrales eis non subvenissent..... In
» hac caristia plurimum angustiati fuerunt Silvani,
» et maxime in *Astawalda* et in *Broke* (*Noord-* et
» *Zuid-broek*) propter humiditatem agrorum, et ideo
» non pauci confugerunt ad villas, quidam mendi-
» cando, quidam et quasi pro solo victu serviendo,
» qui prius habebant proprios agros colendos, quia
» cum Silvanis non prosperatur siligo, nec ad pecora,
» nec ad lacticinia habent refugium. Multi etiam
» tam de Frisia quam de Threntia patriam exierant,
» sperantes sic alicubi meliorem invenire sustentatio-
» nem. Nonnulli et de urtica, et tribulis, et lolio
» miseram vitam utcunque sustentabant, maxime
» de lanceola et sude (11), quia Dominus, qui in
» ira sua non solet nimis oblivisci, saepius in caris
» annis permittit lanceolam in pratis, pisces in ma-
» ri, et praecipue conchylia Menarum plus solito
» habundare. Sed in illa aestate paulo melius pro-
» sperata fuit annona, licet everteret pluvia pluri-
» mum agriculturam, quia eo anno ad cathedram
» Petri (22 Februarii) coeperunt homines arare, et
» seminare, et ideo competenter fuit prosperatum.

---

(11) In *het Cruidtboeck* Remberti Dodonaei, *volgens zijne laetste verbeteringhe*, *met bijvoegzels enz.*, te Antwerpen bij Balthasar Moretus, 1644, fol. 149, secundum translatorem *Plantago maritima* in Frisia hodierna *zuyde* nominatur.

»Postmodum circa Gregorii cum tutissima est agri-
»cultura, increvit pluvia, et fere per septem heb-
»domades. Et tunc quidquid projectum fuit in lu-
»tosos agros, modicum fructum attulit seminanti,
»et sic primae sationis fructus melius fuerunt pro-
»sperati. Eodem anno in autumno coepit oriri ho-
»minum mortalitas, et quidam etiam subitanea mor-
»te moriebantur (12)."

Ex hisce videmus, non obstante famis inter homines saevientis gravitate, funestos effectus non comparari posse cum Epidemia lethifera anni 1250, quando non adeo fames homines, quam pabuli inopia pecus pressit. Sed neque, uti in hac, inundatio maris praecesserat, nec fuit aestas sicca fervida, neque tanta talisque strages pecoris accidit, ut inde putredo animalis oriretur, quae per aërem homines inficeret.

1280. Ad annum 1280 in Anonymi *continuatione* (13) morbus memoratur, qui sacerdotibus maxime lethalis fuit, ita ut intra quindecim septimanas

(12) MATTHAEI *Anal.* p. 186 seqq. Conf. UBBO EMMIUS o. c. p. 170. WESTENDORP o. c. I. p. 356 seqq.

(13) MATTHAEI *Anal.* II, p. 194. WESTENDORP haec habet ad annum 1283, sed, etsi de Anonymi justa anni indicatione dubitandum, tamen non annus 1283, potius 1284 substituendus videtur. Conf. Nota ad MATTHAEI *Anal.* p. 193.

42 obierint; praecesserat hyems humida et pluviae abundantes agros inundaverant. Talia enim habet: »Anno eodem (1280) fuit hyems humida, et »cataractibus apertis recens aqua superabundavit, et »superexspatiata est plana terrae in tantum, quod »homines prudentes assererent infra quinquaginta an- »nos numquam sic aquam pluvialem increvisse. »Pestilentia autem eodem anno sacerdotum maxima, »nam infra XV septimanas quadraginta duo morie- »bantur."

Ex causa hîc praegressa, scilicet aquae dulcis inundatione, et quia morbus praesertim clericos ingruit, qui prae ceteris, teste MENCONE, febre intermittente laborare solebant, illum hujusmodi fuisse naturae cogitare licet.

1315. Multo gravior erat Epidemia, quae anno 1315 etiam extra patriam saeviit, sed Frisicas imprimis oras depopulavit. A calendis Maji incipiens et totos durans menses pluvia inundatione agros consitos ita corrupit, ne quid maturescere posset. Hinc pergravis, et quantum nulla fere hominum memoria noverat, consecuta annonae inopia omnem Frisiam populosque vicinos pressit. Eam porro comitata pestis tam vehemens et saeva, ut ejus vi tertiam mortalium partem periisse in hoc oceani littore totaque adeo Europa à bonis auctoribus, uti testatur UBBO

EMMIUS (14), proditum sit. Ita *Coloniae ad Rhenum* 30,000, *Moguntiae* 16,000, *Argentinae* 13,000 hominum absumpta esse in Commentariis earum Civitatum annotatum reperit. Tristissima porro lectu sunt, quae de hac calamitate, a Clar. THYSSEN vix memorata, apud alios scriptores Frisicos, WINSEMIUM, SCHOTANUM etc. enarrata offendimus, attamen repetere nolo, cum nos de natura morbi certiores non reddant (15). Satis tamen ex allatis patere videtur, morbum veram fuisse pestem, etsi non indigenam, sed introductam et in hisce locis fame et inopia maxime sustentatam.

Hoc utique confirmatur Historicorum testimoniis, pestem ab initio usque ad medium seculi decimi quarti passim in Europa observatam fuisse. Omnium tamen atrocissima fuit, quae ab anno 1346—1352 sub nomine vario, imprimis *pestis* seu *mortis nigrae* e China profecta Orientem permeavit et inde in Europam translata, hanc fere totam, et nostram
1349. patriam regionemque prae ceteris anno 1349 devastavit. Testibus auctoribus Belgicis aliisque, a THYSSEN allegatis, haec terribilis pestilentia cum navibus

---

(14) O. c. p. 190.

(15) Conf. interea *Oudheden en Gestigten van Groningen*, p. 257, et WESTENDORP o. c. II. p. 102, perverse vero continuationem Anonymi citans, jam prius finitam.

mercatoriis aromatibus oneratis ex Oriente Massiliam appulit et inde per Europam disseminata est. Temporis spatium, quo grassabatur, ubique quinque menses durabat. Notabatur inflammatione asthenica, imprimis pulmonum, cum haemoptoe lethali finiente, et modo, in morbi decremento bubonibus obortis, nonnullos salvos relinquebat. Incipiebat cum obnubilatione et comate, lingua et fauces erant nigrae, veluti adustae, halitus oris foetidus; aegroti plerique ante diem tertium moriebantur et bubonum eruptio ante hunc diem certum erat mortis indicium. Europam dimidiam hominum partem perdidisse fertur; hoc saltem in Neerlandia accidisse affirmatur, imo in nonnullis plagis modo vicesimam partem incolarum remansisse, Gelriam vero tantum tertiam partem perdidisse (16). Vehementem inprimis stragem fecit in hoc vicinisque Frisicis tractibus maritimis et perseveravit in annum sequentem 1350. Annalium nostrorum veterum auctores illam tantam hominum multitudinem prostravisse narrant, ut sepeliri defuncti a paucis superstitibus metuque contagii percussis non rite possent. Multi stantes euntesque per vicos conciderunt repente exstincti. In coenobio hujus provinciae Aduardico florentissimo interierunt Abbas Prior,

(16) Vid. THYSSEN, o. c. p. 199 seqq.

44 monachi, 130 conversi et 29 studiosi, et in villis coenobii 19 sorores. In coenobio Clarecampo Frisiae 184 et in Foswerdico ibidem 207 conventuales; in pago Frisiaco Orientali *Hoogebunde* 7000 parochiani etc. (17).

Nuper hujus pestis historiam denuo examini accuratiori submisit, similibus studiis medico-historicis tantopere de Medicina meritus Cl. J. F. C. HECKER (18). Secundum hunc Auctorem eruditissimum, pestis nigra, ita dicta ob atrum colorem cadaverum illa exstinctorum, pestis erat orientalis et vulgo carbunculis et tumoribus glandularum se palam faciebat, quibus vero non raro putrida (anthracica) inflammatio pulmonum et coeruleae nigraeque maculae (petechiae) tamquam certa mortem annunciantia signa accedebant. Generales insignesque, quae huic pandemiae praecedebant, calamitates initium sumebant in China anno 1333 et erant — quales fere in annis 1831—1832 Choleram Asiaticam praegressas experti sumus — graves inundationes, siccitas aridissima, frugum defectus, terrae motus, anni pluviosi, meteora singu-

(17) Vid. *Oudheden en Gestigten van Groningen*, p. 240, aliosque apud WESTENDORP, o. c. II. p. 187 seq. citatos auctores. E. BENINGA, *Historie van Oostfriesland* in MATTHAEI *Anal.* T. IV, p. 144. EMMIUS o. c. p. 203 etc.

(18) *Der Schwarze tod im vierzehnten Jahrhundert; nach den Quellen für Aerzte und gebildete Nichtärzte bearbeitet*, Berlin 1832.

laria etc. Hasce telluris turbas commotionesque varias insequebatur ilico in regno Chinensi pestis. Anno 1348 incipiebant memorata phaenomena in Europa; sed contagione *mors nigra* jam anno 1347 per Asiam mediam et ex praecipuo infectionis foco, Constantinopoli et portibus maritimis Asiae minoris in Europam meridionalem transierat, at — contraria ratione, quam Cholera Asiatica — non prius quam anno 1351 Russiam invasit. Durante hoc brevi temporis spatio pestis 25,000,000 hominum in Europa, et in toto Oriente, si excipiatur China, 23,840,000 e vita tulisse existimatur. — Haec pauca de hujus morbi pandemici indole, origine, itinere et mortalitate ex Heckeri opere egregio hîc addere non supervacaneum duxi.

1400. Secundum Emmium per Frisiam et hancce regionem adhuc grassata est pestis anno 1400, quae, ut vulgo creditum, tertiam incolarum partem abstulisset et ipsum exercitum Episcopi Ultrajectini tunc *Groningam* obsidentis adeo afflictavit, ut ob hanc cladem discedendi consilium magis necessarium ceperit; quo facto pestis vis remissa est, ingruente frigore (19). E. Beninga Frisiae Orientalis Historiae scriptor loquitur de morbo epidemico vehementi contagioso, qui ibi an-

---

(19) O. C. p. 240.

1420. no 1420 grassatus est et multis lethalis fuit (20). Idem
1437. Auctor quoque pestem memorat, quae anno 1437 in Frisia, post graves maris eluviones, quibus nostra littora, diu aggeribus denudata patebant, et insecutam rerum caritatem et famem, erumpebat milliaque incolarum cita morte feriebat (21); et porro ali-
1494. am gravem Epidemiam pestilentialem in Frisia ad annum 1494 (22); de quibus Epidemiis vero, cum desint nobis accuratiores annotationes, non definiri potest, utrum quidem ad pestem, an vero ad alios morbos pertineant. Circa haec tamen tempora, in pluribus Hollandiae et Ultrajectinae provinciae aliisque locis, morbos vere pestilentiales dominasse constat ex iis, quae de hisce annotavit Thyssen (23).

Inter hosce morbos pestiferos se nobis offert singularis ille morbus et violentus, qui sub titulo vario, vulgo *Sudoris Anglici* seu *Ephemerae Anglicae*, atro carbone in historia est notatus et hunc titulum omnino meruit, quia sudore profuso et largo ad 24 horas perdurante notabatur et ab anno 1485 ad 1551 quinqies in Anglia, vel inter honoratiores, saeviit. Semel autem Angliam deseruit et per Norve-

(20) In Matthaei *Anal.* T. IV, p. 200.

(21) O. C. p. 276. Conf. Westendorp, O. C. II. p. 488.

(22) O. C. p. 384.

(23) O. C. p. 201.

giam et Germaniam inferiorem grassata, nostram quo-
1529. que petiit patriam et quidem anno 1529. Ita, teste Medico Amstelodamensi FORESTO, per Gelriam die 20 Septembris hujus anni cum nebula densa Amstelodami apparuit et non diutius quam quinque dies morata est, Hollandiae boreali parcens (24). Nostras vero oras maritimas nequaquam praeteriisse patet ex notis historicis, quas E. BENINGA de hoc morbo nobis reliquit. Testatur illum morbum, tam vehementem quam incognitum, jam aestate dicti anni in Frisia orientali et omnibus terris maritimis grassatum fuisse; tam cito homines invasisse, ut in agris deciderent; neglectos aut nimis calide tectos aegros intra 24 horas succubuisse, et illum non diutius quam 14 dies eodem loco perstitisse, quo facto mox iterum abiit (25). Ita ista loca fulminis instar pervagatus est rarissimus ille morbus, de quo haec locutus est Clar. THYSSEN: »JOH. LANGE en de »Goudasche arts VAN RONSS zochten vruchteloos bij »de ouden sporen eener ziekte, die van toen af »verdween, en dus met de zwarte pest (jam addi »omnino licet Cholera Asiatica) aan den geneeskun»digen hemel als schrikverwekkende kometen ver»schenen, wier baan men niet kon berekenen, wijl

(24) Vid. THYSSEN, O. C. p. 213.

(25) MATTHAEI *Anal.* T. IV, p. 642.

» zij gezegd worden in eene hyperbole voort te loo-
» pen, om nimmer aan onzen trans terug gezien te
» worden, die in de Nosologiën staan als de ruïnen
» eener verlatene streek, min den beoefenenden dan
» den geschiedkundigen arts belangrijk, misschien
» nog eenmaal dienstbaar den zoo duisteren omloop
» en leer der epidemiën op te helderen (26)."

Hunc valde obscurum morbum nuperrime etiam illustrare tentavit jam laudatus Cl. HECKER (27). Communem omnium Epidemiarum febris sudatoriae occasionem sequentia praebuisse ipsi videntur: scilicet, insignis atmosphaerae et soli humiditas, generalis intemperantia, immunditia et abusus vestium nimis calidarum, unde cutis debilitas et abnormis sensibilitas. Hisce ita conspirantibus causis accedebant ad morbum formandum et dispergendum, duntaxat in nonnullis Epidemiis, belli aliaeque inter populos calamitates. Etsi interdum contagiosus fuerit, dispersum tamen morbi non sola contagione explicari posse autumat. Quod porro ad morbi naturam attinet, probat *Ephemeram Sudatoriam* fuisse febrem rheumaticam acutam, cum gravi nervorum affectione stipatam et in genere notatam celeri decursu et improvisa invasione, speciatim cerebri affectionibus, inprimis

---

(26) THIJSSEN, O. C. p. 215.

(27) *Der Englische Schweiss; ein ärztliche Beytrag zur Geschichte des fünfzehnten und zechzehnten Jahrhundert*; Berlin 1834.

comate, fere semper lethali; palpitationibus cordis et respiratione difficili, sudore profuso graveolente, quem pro salutari naturae conamine habet, quo morbus ad bonum exitum ducitur, sed etiam vires exhauriri possunt, cujus ideo suppressio valde erat periculosa; porro doloribus rheumaticis, pulsu accelerato et irritato. Miliaria non constans erant morbi symptoma. Hunc etiam morbum a *Miliaribus* vel ipsa sic dicta *febre miliari sudatoria Picardiensium* (*Suette miliaire*, *Suette des Picards*), alias quamdam similitudinem cum *Ephemera Brittannica* praebentibus, magis minusve diversum censet; contra pro eodem morbo, pro vera habet *Ephemera Brittanica* Epidemiam, quae anno 1802 in Franconiae oppidulo *Röttingen*, ad fluvium *Tauber* sito, per breve temporis spatium grassata est (28).

1538. Magis vulgaris naturae fuisse videtur morbus,

---

(28) Ad hanc HECKERI sententiam, discrimen satis notabile inter *Sudorem Anglicum* et *Miliaria* ponentis, animadvertit ipsius operis relator in *Medic. Chirurg. Zeitung*, 1834, B. III, s. 21: inter Epidemiam Röttingensem et Miliaria ibi adhuc non raro epidemice grassantia affinitatem interesse satis insignem, uti observationes ipsum docuerunt. Alii, uti OZANAM et RAIJER, ipsum *Sudorem Anglicum* etiam pro forma acutissima *Febris Miliaris* seu *sudatoriae* habuerunt; et ad hanc quoque Dr. COPLAND varias refert epidemias, quae postea per Europam observatae sunt et omnes sudorem profusum sibi comitem habuerunt, quem pro symptomate constante et pathognomonico, non ita miliaria, hujus morbi, hinc potius *Febris sudatoriae* quam *Miliaris* vocandi, habet. Vid. *Encyclopädischen Wörterbuch der Practischen Medicin etc. van Dr.* JAMES COPLAND *a. d. Engl. mit Zusätzen von Dr.* M. KALISCH, B. IV. St. I, 1837, s. 40.

quem, narrante auctore E. BENINGA, anno 1538 Frisia inprimis Orientalis passa est. Incipiebat cum febre intermittente, cui accedebat diarrhoea cruenta aut dysenteria; morbus quidem pesti similis habebatur, sed non multi succubuerunt (29).

1545. Ad similem febris intermittentis, cum *Sudoris Anglici* symptomatibus, ex insigni aëris humiditate obvia derivandis, nec non biliosis stipatae Epidemiam forte etiam pertinet illa, quam idem Auctor notat ad annum 1545 in *Frisia orientali* aliisque locis dominasse. Haec enim aestate oboriebatur, postquam in initio anni multum pluviae cecidisset, ita ut segetes submergerentur et multa inopia et caritas insequerentur. Morbus adeo vulgaris erat, ut pauci intacti manerent, et sub varia prodibat forma. Ita incipiebat cum valido frigore, cui succedebat vehemens ardor; qui sanguinei erant temperamenti, per diem et noctem sudabant. Aegri habitum prae se ferebant, ac si ictero laborarent aut revera adusti essent. In fine morbi caput patiebatur et tunc multi decubuerunt. At licet morbus contagiosus et a nonnullis *Sudori Anglico* similis haberetur, tamen

---

(29) MATHAEI *Anal.* IV, p. 697, § 83. „Umtrent *St. Johannes Baptistae* is in Oostfreeslant eene groote geschwinde krankheit gewest, „in den anfang quam se mit eener kolde, daar sloech dan de bloetgang to, men achtede de sulvige kranckheit der Pestilentie gelyck, „je doch sturven nicht veel luede."

non multi moriebantur; raro vero aegroti evadebant, quin febre intermittente corriperentur. Optimum contra illud remedium erat, domi manere et aërem evitare; alioquin febris pertinax oriebatur (30).

1575. Pro vera denuo peste habenda videtur Epidemia, quae in urbe Grôningana per autumnum anni 1575 usque in annum 1576 regnavit, quaque hoc in anno Episcopus Groninganus primus et ultimus, ut ait Emmius, nempe Johannes Knijf occubuit (31); eo magis, cum eodem fere tempore pestis alibi in no-

---

(30) Matthaei *Anal.* IV, 720 et 721. „In dussen sommer is in „Oostfreeslant und andere landen de lucht so feninich und hittig ge- „west, dat dar van gar wenich lude untkamen, eder sint met de „kranckheit beschwaert gewest, und nicht eenerley, dan na eenes „ideren complexien. Den eenen quam de kranckheit mit eene gre- „sunge an, dan so balde de gresunge wer aver, mit eener groten „hitte, de gemeenlich by den krancken in allen leden bleeff, dat men „daer van nicht to vele schriven kan. De der complexion *Sanguinei* „weren schweteden iummer to dach und nacht. Ook wurden de pa- „tienten van der kranckheit so misstalt, dat se anders nieht segen, „als hadden se de gele sucht, edder ofte se in der daet verbrant „weren. Summige achteden dit vor eenige inwendige pestilentie, it- „liche als de swetende sueke, eder dat Engelsche schwet genoemet. „In dat leste des kranckheides quemen de weedage des hovedes, dar „to viel de eene bij den anderen dale. Averst wo wol de kranck- „heit feninich was, so sturven den noch daer in nicht vele luede, „dan selden entginck eener dar uth ofte he krech de kolde. Dat „beste remedium dar tegen was, dat men sick uth der lucht in de „huesen unthielt, sus kunde men dat *febris* nicht untlopen, dat ee- „nen nicht lichtlich wulde verlaten."

(31) *Cronykje van Groningen en Ommelanden*; Gron. 1727, bl. 73.

stra patria grassata est, uti inprimis anno 1573 in urbibus obsessis, *Harlemo*, *Alkmaria* et *Lugduno Batavorum*, ubi ex victus penuria praesertim plebem afflixit. Quamvis bubonibus notatam non valde tamen malignam illic fuisse, sed magis febris putridae sub forma, quae in autumno in febrem mucosam et biliosam transibat, decurrisse tradunt Auctores. Talis etiam fuit, quae in Brabantia, inprimis in Flandria, anni 1574 aestate saeviit, postquam semitertianae praecesserant, ut taceam de peste in oppido *Oudewater* etiam durante obsidione oborta etc. (32); — sufficit ut ostendam, in illo seculo, bello ejusque sequelis adeo notato, occasionem uberrimam exstitisse, quae pestem, ne dicam excitare, sed in nostra patria hospitantem et serpentem provocare et alere potuerit. Ceterum cum nil fere nisi nomen valde incertum et ambiguum nobis aliquid indicium de morbi natura praebeat, difficile hac de re dijudicatu est.

1581. Ita res quoque se habet cum morbo sic dicto pestilentiali, qui anno 1581 hanc regionem, jam bello et de industria, ad hostes arcendos, aquae marinae facta inundatione in partem occidentalem, gravatam afflixit. Nihil aliud de hoc legitur, nisi illud; durante hoc morbo in hac provincia fora fuisse clausa et in uno pago infrequenti *Wirdum* centum

(32) THYSSEN, o. c. p. 202 seq.

et plures incolas diem supremum obiisse (33); nec
1623. aliud compertum habemus de peste Groningana anni 1623, quam publicis actis probatam traditionem, tumultum inter cives exortum fuisse de mortuorum sepeliendorum aut ad coemiteria deferendorum negotio, quod sibi vindicare voluerunt viri 32, Magistratus auctoritate hunc in finem anno 1620 constituti (34). Cum hi vero, uti videtur, ob funerum numerum solito majorem, durante peste, omnia statuto tempore efferre non possent, tunc cives ipsi suos sepelire mortuos conati sunt. In tumultu inde exorto, primum Magistratus horum virorum jura armis tuitus est; propter eorum exactiones vero, novis turbis obortis, civibus est permissum, durante pestilentia suos sepelire mortuos (35). Si in

(33) *Teg. Staat van Stad en Lande*, I. p. 504.

(34) Vid. *Senatus Decret.* 27 Nov. 1620.

(35) Vid. *Senatus Decret.* 5 et 6 Aug. 1623. Primum hoc anno (2 April. 1623) etiam offendimus propter pestem a Magistratu Groningano in civium salutem latum et typis expressum decretum (*Pest-order*). In NYENBURG, *Verhaal van Groningen* (conf. *Cronykje van Groningen* etc. 1727, p. 97 et 1748 p. 222) legimus, ad diem 5 Aug. 1623 tumultuosum, funera adultorum tempore antemeridiano per feminas nuptas, et juniorum tempore pomeridiano per filias elata fuisse. Hoc vero non ita intelligendum esse, ac si illud munus tunc temporis propter seditionem viris fuisset denegatum et feminis commissum, uti legitur in infra citando opusculo, ex supra allatis satis patet. Vid. *Herinneringen aan den jare* 1826; *of alphabetische naamlijst der overledenen te Groningen, sedert den* 1 *Jan.* 1826 *tot* 31 *Dec.* 1826; *benevens eenige aanteekeningen van vroegere ziekten, welke te Groningen geheerscht hebben enz.*

causas inquiramus, quibus haec pestis epidemia accensa sit, hic forte accusanda sunt miasmata, quibus novae fossae et valla, quibus urbs tunc munita est, fontem praebuerint morborum satis cognitum.

1635. Pro resuscitato forsan eodem morbo consideranda est Epidemia, pestilentialis etiam dicta, quae anno 1635 denuo hanc urbem vexavit et centum homines per hebdomadem abstulit (36); pestem veram fuisse inde etiam concludere licet, quod haec eodem anno *Neomagi*, *Ultrajecti ad Rhenum* et *Montfoortiae* grassata est, uti ex egregia Doct. VAN DIEMERBROEK descriptione novimus (37).

1656. Tandem adhuc hanc civitatem bis, anno nempe 1656
1666. et 1666, pestis, in nostra patria et terris vicinis regnans, invasit, sat graviter ultimo anno, cum 150 cives per hebdomadem defuncti sint (38), attamen multo minus illa passa est, quam alia loca, uti *Daventria*, ubi anno 1656, 4531, et *Emda*, ubi in ultimis anni 1665 sex mensibus, 5000 obierunt (39).

---

(36) *Kronykje van Groningen*, 1727, p. 100. Anno 1636 denuo *Senatus decretum* de peste est latum.

(37) THYSSEN o. c. p. 207.

(38) Vid. notae hist. ad *Regeringsboek van de Prov. Gron.*, door Mr. H. O. FEITH, in *Regerings-Almanak van en voor de Provincie Groningen* 1835, p. 23.

(39) Uti Doct. M. VAN GEUNS ad orationem Academicam a Cl. G. VAN DOEVEREN habitam, *de Sanitatis Groninganorum praesidiis, ex urbis natur. hist. derivandis*, Gron. 1770, et a VAN GEUNS in linguam vernaculam translatam sub titulo: *Over de gunstige gesteldheid van Groningen voor de gezondheid, af te leiden uit de natuurlijke His-*

Hic de industria hasce Epidemias attuli, quia Cl. Thyssen de illis silet, etsi loquatur de peste, quae anno 1658 *Ultrajecti ad Rhenum* regnavit et verosimiliter inde *Amstelodamum* translata est, quoniam ibi anno sequente 16727 homines defuncti sint; uti etiam de peste, quae anno 1664 *Lugduni-Batavorum*, *Hagae-Comitum*, *Dordraci* et inprimis iterum *Amstelodami* saeviit, quorsum cum nave ex urbe Algirensi infecta allata et forsan effluviis foetidis, ex fossis urbis tunc ampliatae emanatis, sustentata fuisse videtur. Haec secundum Thyssen ultima in patriae annalibus memorata pestis fuit; pro tali vero igitur potius habenda est nostra *Groningana* anni 1666, etsi haec, aeque ac *Emdana*, omni cum veri similitudine ad eandem Epidemiam pertinuerit. Quaeritur ceterum,

---

torie der Stad, *enz.* 1771, p. 51, annotavit, ex *Disquisitione gemina de peste*, 1656, in *Dedicat.*; et ex *Tractatu de peste*, 1658, in *Dedicat.* p. 5 et op. p. 29, 83, 459, Auctore Ant. Deusing (tunc temporis medicinae Prof. in Acad. Groningana); quod ad Daventriae pestem, ex tractatu Theologico de peste sub titulo: *Eenige vragen enz.* 1757, *praefat.* § 1 et op. p. 195, Auctore Joann. Martino, V. D. Ministro Groningano; et quod ad pestem Emdanam, ex G. Outhof, *Gerichten*, p. 715. — Dolendum sane est, hosce viros eruditos non magis ad morbos ipsos, ob quos scripserunt, attendisse et sic accuratiorem de hisce nobis reliquisse notitiam. Nonnulla, durante hac Epidemia ultima (1666), ob hanc lata sunt Senatus decreta, inter quae sequens; quavis die saturni cum senatu communicandum esse numerum civium per septimanam praeterlapsam mortuorum (vid. *Senatus Decret.* 31 Martii 1666); ex quibus documentis, si adhuc prostarent, saltem de lethalitate morbi, qui anno 1666 gravior fuisse videtur quam 1656, magis nobis innotesceret.

num ad hujus Epidemiae, contagione quidem ad hanc urbem jam primo anni 1666 vere propagatae, incrementum majus, quam illius anno 1656, aliquid contribuerit gravis maris inundatio, quae in fine anni 1665 oris patriae hujusque regionis multum intulit damni?

1672-3. Jam pervenimus ad tempora et Epidemias, quae magis innotuerunt. Primo nobis occurrit Epidemia anni 1672 et 1673, quae iterum in urbe *Groningana* praesertim dominavit, ubi nempe in priore semestri anni 1672 parte funerum numerus fuit 549, et in posteriore 1224, aut per totum annum 1773; — porro in priore semestri anni 1673 parte 1287, et in posteriore 517, aut per totum annum 1804 — numerus certe insignis, si attendamus ad incolarum numerum, quo urbs tunc gaudebat, multo minorem, quam hodie. Cujus tamen naturae morbus fuerit, non constat, quoniam non aliud nisi hoc de illa epidemia memoraverit Doct. LOOFFIUS (40). Quum vero urbs per menses Julium et Augustum anni 1672 ab Episcopo Monasteriensi obsidionem perpessa est, non abs re est credere, morbum ad febrem putridam aliamve malignam contagiosam esse referendum, quales urbes diu obsessas obrepere solent.

1719. Anno 1719, post calidissimam hujus anni aestatem, et post praegressam anni 1717 ingentem maris effu-

(40) In opere mox citando.

sionem, hic etiam solito frequentiores fuisse similes febres biliosas, ac tunc per Hollandiam et Zeelandiam et inprimis *Lugduni-Batavorum* grassatae sunt, paucis quidem at satis evictum est (41).

1727-8. Jam sequitur Epidemia anni 1727 et 1728, quae, inprimis in aestatis fine prioris anni usque in sequentem, hos vicinosque tractus satis graviter afflixit, ita ut plura millia, tam juniorum quam adultorum, succubuerint, et quidem per septimanam hac in urbe, 72, et per totum annum 1727, 1306, et insequentem 1728, 1387 mortui sint (42). Febris biliosa cum exacerbatione tertiana, quae secundum THIJSSEN (43) in autumno anni 1727 *Lugduni-Batavorum* observata est et inprimis *Amstelodami* ob complicationem putridam adeo fuit perniciosa, ut extra patriam pro peste haberetur, opinioni huic favet, similem hîc adfuisse morbum, in autumno praeterea satis familiarem.

1779-81. Denique nobis enarranda superest Epidemia annorum 1779, 1780 et 1781, de qua, inprimis quod attinet ad primum annum, in quo morbus etiam hic

---

(41) Hoc scilicet patet ex sermone sacro manu scripto Groningae habito a V. D. Ministro S. ABBRING. Vid. *Verslag van de in het jaar* 1826 *te Groningen wvargenomene Ziekten door de Plaatselijke Commissie van Geneeskundig Toevoorzigt enz.* Gron. 1828.

(42) *Kronijk van Groningen*, enz. 1748, p. 282, et infra citandos auctores ad Epid. 1779—1781.

(43) O. c. p. 89 seq.

gravissimus fuit, paullo certiores nos reddere valet historia hujus Epidemiae a Medico, tunc in urbe *Groningana* praxin exercente, Doct. PH. J. LOOFF, (cujus avus, itidem hujus loci Medicus, celebritatem quamdam sibi conciliavit invento *liquore stiptico Looffii*) conscripta et cum Societate medica, quae tunc *Hagae-Comitum* floruit, communicata (44). Anno 1779 in hac urbe defuncti sunt 1395 (adulti 820, juniores 530, ex Orphanotrophiis et Lutheranis 41, et Judaeis 4), inter quos 948 in ultimis sex mensibus; anno 1780, 1000, et 1781, 1545, inter quos hujus anni vero etiam multi variolis exstincti aderant. Causae hujus Epidemiae, prorsus eaedem ac in simili recenti Epidemia anni 1826 aliisque pri-

---

(44) Vid. *Verhandel. van de Natuur- en Geneeskundige Correspondentie-Societeit in 's Hage*, D. I. Afd. II. bl. 870. Conf. FEITH, *Redevoering ter gelegenheid van het 25jarig feest van het Departement Groningen der Maatschappij tot Nut van 't Algemeen*, Gron. 1819, *Aant.* bl. 84 seq. *Herinneringen aan den Jare* 1826 etc. p. 91 seq. Ex actis Facultatis med. Academiae Groninganae patet, Cl. G. FORSTEN VERSCHUIR, cum XIX Dec. 1782 Magistratum Academicum deponeret, orationem habuisse, *de caussis Epidemiae febrilis, quae per triennium proxime elapsum plurima Belgii loca civitatemque etiam Groninganam infecit, ex hujus tamen soli indole non derivandis.* Nemo sane est, qui mecum non dolebit, hanc Orationem, propter opinionem in illa defensam a Viro Cl., de genuina morborum indole indaganda suo tempore peritissimo, typis excussam non esse, nec etiam manu scriptam hodie inveniri inter ea, quae a Vidua honoratissima hujus Viri Cl. conservantur, quemadmodum Vir. Cl. S. E. STRATINGH mecum communicavit.

stini temporis, quaerendae, ni fallor, sunt in gravissimis maris inundationibus anni 1775 et inprimis anni 1776, et insecuta aestate fervida et sicca anni 1779, post hyemem lenem hujus et praecedentis anni 1778, quare annus 1779 nomen *wonderjaar* meritus est, et ubique in multis vel ipsis locis arenosis elevatis nostrae patriae abundaverunt febres biliosae malignae aliaeque, uti et dysenteria, quae interdum putridam indolem induebat. Ratio, quare haec Epidemia demum anno 1779, nec citius statim post inundationes annorum 1775 et 1776 eruperit, probabiliter tribuenda est aestatibus minus calidis annorum 1777 et 1778 (45); quam ob causam etiam Epidemia anni 1826 demum hoc anno oborta, neque in aestate anni 1825, quando in initio mensis Februarii inundatio accidit, hanc secuta est.

Epidemia incipiebat medio anno 1779, sub forma febris tertianae, et praesertim in urbis parte boreali, increscebat usque ad ultimum anni quadrantem et tunc denuo decrescebat, aeque ac in Epidemia anni 1826 accidit; — imo quantum illa cum hacce conveniat, probant sequentia, quae de ista notavit Doct. Looffius: »Wanneer men »inquit" »van den eersten beginne deeze Ziekte waarnam,

(45) Vid. *Verslag van de in het jaar 1826 te Groningen waargenomene Ziekten enz.*, bl. 16, aant.

» was het meest altijd eene anderendaagsche Koorts;
» maar welke geduurig vervroegende, zeer ras, en
» zonder stilstaan, in eene dubbelde anderendaagsche
» en van het gemeen alledaagsche Koorts genaamd,
» veranderde.

» Somtijds was ze in het begin verzeld met sterk
» braaken, en wanneer daardoor eenige *Gal* geloosd
» werd, dan noemde men het alras eene *Gal-koorts;*
» ofschoon de waare *Febres biliosae*, met een geduu-
» rig Galbraaken, en andere daarbij gewone toeval-
» len, zeer weinig gevonden wierden. Indien dan
» deeze Koorts in haaren voortgang geheel niet, of
» zeer traag wierd beteugeld, veranderde dezelve zeer
» regelmaatig en spoedig in eene geduurige Koorts, en
» eene Scorbutike gesteldheid; een vol ligchaam, of
» kwaadsappigheid daarbij komende, ging dezelve
» over in eene waare *Rot-koorts*, en wierd dan
» schielijk doodlijk. Of ook zonder dat, werden
» door de geduurigheid der Koorts de krachten zooda-
» nig uitgeput, dat de dood onvermijdelijk wierd;
» of ook alras de geesten zoodanig onderdrukt, dat
» de verstandige vermogens en gevoel geheel vermin-
» derd en verdoofd wordende, de zieke in eene
» slaapzucht verviel, en daardoor besef en vermo-
» gens, om eenige toereikende middelen te gebrui-
» ken, verliezende, voor het geweld der Ziekte moest

» wijken, en daardoor onderdrukt werd. Anderen » wederom, wiens kracht van wederstand sterker, » of de oorzaak der Ziekte minder was, en volgens » verschil der *Idiosyncrasie* of eigen ligchaamsgestel, » vervielen in *Hoest* en *Teering*; of ondergingen » door verstopping der onderbuiksingewanden, opge- » blazenheid, dikbuikigheid, en eindelijk de Water- » zucht; gelijk ik veele zoodanigen, voornaamelijk in » jongere persoonen, heb opgemerkt; maar welke » toch alle vrij spoedig en gemaklijk geneezen wier- » den (46)."

Inter hunc vulgarem febrium decursum aliae etiam observabantur, quae varia sub forma prodibant et hinc a Doct. LOOFFIO *febres anomalae* et *proteiformes* vocantur, attamen ex eadem constitutione Epidemica originem petebant eodemque modo curabantur. Nec alii fere morbi aderant, praeter nonnullas febres biliosas et inflammatorias; diarrhoea rara, dysenteria nulla in urbe observata est, licet haec ultima quidem in agro suburbano *Gooregt* et in tractibus *Oldambt*, *Westerwolde* etc., solo magis arenoso et elevato praeditis, non secus ac in aliis similibus patriae locis, occurreret (47). Ceterum in ip-

---

(46) O. c. p. 879 et 880.

(47) Vid. in *Regerings-Almanak van en voor de Prov. Groningen voor het jaar* 1838, *vervolg van het Regeringsboek der Prov. Groningen*, door Mr. H. O. FEITH, bl. 80.

sis hujus provinciae locis argillosis non solito multo frequentiores reperiebantur, durante hac Epidemia Groningana, febres biliosae intermittentes (48). Nulla etiam provincia maritima patriae tam parum inundationibus praegressis passa erat quam haecce.

Curandi ratio optima in hac Epidemia etiam eadem erat ac in nostra anni 1826, ita ut, nisi propria experientia satis cito Medicis viam hac in re monstravisset, illa anni 1779 illos docere potuisset. Princeps nempe remedium erat cortex Peruvianus, non secus ac in anno 1826 Sulphas Chinini, quantocius posset in substantia larga dosi administratus, post usum emetici et resolventium aut purgantium, ad sordes gastricas plerumque obvias primum evacuandas.

Haec duntaxat erat curandi methodus, quam Doct. LOOFFIUS secutus est, nam (nec mirum) tam audacem corticis Peruviani usum, non obstante egregio successu, suos habuisse oppugnatores, quibus nec Chinini usus in Epidemia anni 1826 caruit, ex sequentibus verbis Doct. LOOFFII satis videre licet:

---

(48) Vid. *Bericht wegens de stad Appingedam, en omgelegene landstreek, door den Hr.* G. MULLER, *Med. Doct.* in *Haagsche Correspondentie Societeit* l. c. p. 886, et *Bericht wegens de Epidemische Galkoorts, in het Oostelijk gedeelte der Ommelanden*, Ibid. p. 894.

» Stoutelijk volharde ik in deeze Methode, wat te-
» genspraak mij ook mogte ontmoeten, of hoe kwa-
» lijk men mij ook mogt neemen, dat ik het voor-
» oordeel tegen dit Middel, hetwelk, voornamelijk
» toen ter tijd, ja zelfs ook nu nog, maar al te veel
» plaats vindt en gekoesterd wordt, zoo onbedekt
» durfde trotseeren. Maar het leven en de gezond-
» heid der mij aanbetrouwde Lijderen meerder ach-
» tende, dan zinnelooze en alleen op onkunde ge-
» gronde redeneeringen, ging ik voort, op de zeker-
» heid en veiligheid mijner Geneeswijze vertrouwen-
» de, en had het onbeschrijflijk genoegen van dezelve
» altijd van eene gelukkige uitkomst gevolgd te zien;
» terwijl andere Lijders ongelukkiglijk dit gezegend
» Middel (i. e. cortex Peruvianus; si ipsius principi-
» um Chininum cognovisset auctor, remedium divi-
» num cum recentioribus certe dixerat), door een
» ingeworteld vooroordeel, en onkunde van deszelfs
» werking, missende; of door een verkeerd begrip
» hetzelve te laat genietende, daardoor aan leven en
» gezondheid schade leeden (49)." Et omnino pro-
sperum fuisse hac curandi ratione, probat ulteri-
us Doct. Vir, dum testatur, se ex 320 aegro-
tis, quos inde a mense Augusti 1779, omnes fere

---

(49) O. c. p. 382.

hoc morbo laborantes, tractaverat, non plures quam decem perdidisse, quanto successu Medici in Epidemia anni 1826, etsi usu salis prae Cortice Chinae tanta pollerent praerogativa, non ita vulgo gavisi sunt. LOOFFIUS morbum ideo etiam vocat non adeo per se malignum, sed potius remediis obtemperantem, si modo tempestive adhiberentur et ita morbi vehementiae obex poneretur. At licet etiam Epidemia anni 1826 majorem hominum stragem dederit, quam Epidemia anni 1779, videtur tamen, re bene perspecta, relativus mortuorum numerus in illa non multo major fuisse, quam in hacce; hanc saltem opinionem fovere et probare sibi placuit Eruditissimus Epidemiae anni 1826 historiae Auctor (50). Scilicet totus funerum numerus, quae vero, uti jam notatum est, pro maxima parte in posteriori anni parte accidebant, in 1779 erat 1395, decrescebat anno 1780 ad 1000, sed increscebat anno 1781 denuo ad 1545, propter variolas multis infantibus lethales; dum mortuorum numerus anno 1826, etiam maxime in altera semestris parte, ad 2844 augebatur, et anno 1827 rursus fere ad 1200 diminuebatur. Maximus per hebdomadem defunctorum nu-

---

(50) *Verslag van de in* 1826 *te Groningen waargenomene ziekten*, etc. p. 34, nota.

merus anno 1779 erat 71, anno 1826, 175; igitur fere $2\frac{1}{2}$ major, quam anno 1779. Tantopere vero numerus incolarum non differre potest. Hicce numerus, juxta LOOFFII computationem, anno 1779 erat 25—26000, dum solitus numerus per anni spatium mortuorum tunc erat aequalis 6—700, et igitur civium mortalitas circiter 1: 37—38; quod satis bene congruit cum incolarum et mortuorum numero ante annum 1826 observato. Durante enim annorum 15 periodo, ab anno nempe 1811—1825, annuus mortuorum numerus Groningae fuit 7—800 ex incolis circiter 28000, vel etiam 1: 37—38 (51). Cum incolarum numero nunc comparata mortalitas anno 1779 se habet, ut 1: 17 saltem, et anno 1826, fere ut 1: 10. Sed animadvertendum est, morbum anno 1779 modo occupasse borealem adeoque solum tertiam urbis partem, nec hoc anno ulterius dispersum esse. Anno 1826 contra morbus non diu in plaga septemtrionali moratus, sed mox totam civitatem pervagatus est, ita ut probabile mense Septembris numerus aegrotorum ter, duntaxat $2\frac{1}{2}$ numerum aegrotorum anni 1779 superaverit. Juxta haec igitur (si eandem ponamus morborum utriusque anni lethalitatem) maximus per hebdomadem mortuorum numerus anno

(51) *Herinneringen aan den jare* 1826, p. 94.

1826 saltem a numero, qualis fuit, non differret. Si hisce praeterea addamus, pauperum victum anno 1779 nondum fere solum solani esculenti tuberibus, sed partim cibo magis nutriente, uti pisis, fabis, hordeo mundato etc. constitisse; anno 1779 numerum Medicorum praxin exercentium magis minusve suffecisse ad optatam aegrorum curam gerendam, cum numerus Medicorum (antequam aliunde satis advenissent) anno 1826 prorsus non huic numero responderet, ita ut multi cura necessaria carere debuerint aut saltem tempestivo et debito auxilio frui non potuerint, quod ultimum inprimis omnino numerum mortuorum adaugere debuerit; — si haec omnia nunc reputemus, sane a veritate non ita alienum videtur statuere, numerum relativum mortuorum anno 1826 non superavisse illum anno 1779. Revera autem Epidemia anni 1826, inter omnes ceteras, hîc seculo XVII et XVIII grassatas Epidemias, primas tenet partes; nunc sequitur Epidemia anni 1672 et 1673, tandem illa 1779 etc., quae non multum ab ea anni 1727 et 1728 differt.

Haec sunt, quae mihi de Epidemiis, pristinis temporibus in Urbe et Provincia Groningana vicinisque locis grassatis, innotuerunt et tradere mecum constitui. Hanc ob rem silentio praetereo recentiores morbos, qui epidemice aut praeter modum

ibi adhuc observati sunt, uti *Scarlatina* in urbe *Groninga* et vicinitate anno 1785—1786 et 1804 (52); *Morbilli* anno 1816, quo morbo tunc in hac urbe 2000 correpti et 140 mortui sunt (53); *Dysenteria* anno 1820 in pago *Kiel* vicinisque (54); *Typhus* anno 1808—9 in pagis urbi vicinis Drenthiae, inprimis *Peize* (55), et anno 1816—18 *Groningae*, inprimis in parte boreali apud plebem, uti solet, attamen non malignae indolis, cum ab ultimo quadrante anni 1816 ad medium anni 1818, ex 178 aegrotis, inter pauperes, modo 23 obierunt; quaeque Epidemia eam quoque ob rem notatu digna est, quoniam originem dederit Nosocomio Urbano (56); porro *Carditis* hijeme frigida anni 1814 inter milites arcem *Delfzijlam* obsidentes (57) etc. Eo lubenter

---

(52) J. THEMMEN, *Diss. Inaug., sistens Hist. Epid. Scarlat., quae anno* 1785—6, *Gron. viguit*, Gron. 1787. E. J. THOM. à THUESSINK, *Geneesk. Waarn.* D. II, bl. 1, Gron. 1816. A. O. H. TELLEGEN, *Observ. de scarlatina*, Gron. p. 7.

(53) C. J. THEMMEN, *Dissertatio inaug. de Epid. Morbillosa*, Gron. 1817.

(54) A. NUMAN, *Waarnemingen omtrent den Persloop in* 1810, Gron.

(55) S. TRESLING, *Prijsverhandeling, bekroond door de Provinc. Geneesk. Commissie te Groningen*, Gron. 1812.

(56) C. STEENSMA, *Dissertatio de Typho, inprimis qui Groningae grassari incepit anno* 1816, Gron. 1818.

(57) C. U. J. HUBER, *Dissertatio de Carditide, quae Epidemice grassata est inter milites anno* 1814 *in obsidione Delfzijlae*, Gron. 1819.

de hisce tacere possum, cum Cl. THIJSSEN harum Epidemiarum satis meminerit. Similem ob causam recentissimas *Cholerae Asiaticae* anni 1832 et sequentium Epidemias, alio loco etiam satis descriptas (58), praetermittere licet, nec de illa *Febrium intermittentium* anni 1826, nisi comparandi gratia cum illa praesertim anni 1779, sermonem feci. De industria porro solum de Epidemiis locutus sum, quia de aliis morbis, veluti Chronicis, nihil medico notatu dignum offenditur, nisi ea de *Lepra* et *Lue venerea* excipiantur. Primum morbum adeo detestabilem et priscis temporibus in tota Europa familiarem nec hîc defuisse patet ex fundatione Hospitii, hominibus hoc morbo inquinatis dicati, in suburbano loco *Helpman* anno 1422, secundum chartam fundationis, adhuc superstitem. Haec charta ut et magis illa, quae leges hujus Hospitii et hospitum tunc temporis ordinatas continet, monumenta sunt antiqua, momenti omnino plena, sed magis ad Historiam Medicinae politicae, quam ad nostrum argumentum pertinent, ita ut verbo hanc rem indicavisse sufficiat (59). De lue venerea narrat

(58) A. C. G. SUERMAN, *Specimen Historico-Medicum de Cholerae Asiaticae itinere per Belgiam Septemtrionalem* etc. Trajecti ad Rhenum, 1835, de Epidemiis Groninganis inprimis § 16, 28 etc.

(59) Prostant hae Chartae in *Monumentis Groninganis veteris aevi ineditis* etc. auct. R. K. DRIESSEN, Gron. 1830, IV, p. 767, seq.

saepius laudatus E. BENINGA (60), illam primum anno 1498 per militum cohortes, quae ex Hispanis, Gallis, Italis aliarumque nationum infima plebe compositae, sub nomine *Witte Roos* et *de Garde*, sine duce, Frisiam Orientalem vicinasqne regiones diu pervagatae sunt, in Frisiam introductam fuisse; parum serius igitur, quam v. c. in urbem *Lubecam* (61) et in *Zeelandiam*, in quibus locis anno 1496 cum incolis est communicata; in Zeelandia per Hispanos, teste BEVERWIJCKIO (62), unde etiam vulgo *Spaansche* ut et *Fransche pokken* vocatus est morbus, qui adhuc per orbem terrarum dispersus tam magnam humani generis partem inquinavit et infestavit, etsi minus funestam quam olim indolem habeat.

Videamus jam paucis, quid ex Epidemiarum relatarum historia de nostrorum morborum Epidemicorum inprimis natura et origine sit concludendum.

Si lustremus varias, quae hisce in locis grassatae sunt, Epidemias, hae, quatenus innotuerint, in genere reduci possunt, si excipias rarissimam Ephemeram Brittannicam, ad Pestem, Febrem

---

(60) MATTHAEI *Anal.* IV, 396.

(61) Vid. nota ad BENINGAE locum cit.

(62) THIJSSEN, o. c. p. 358.

malignam, putridam et febrem intermittentem; quarum prima, olim satis frequens, jam pridem omnino cessavit; altera raro aut ne vix quidem sub hac forma; tertia vero adhuc utique occurrere solet.

Prima et momentosa hic sese offert quaestio, quomodo pestis olim orta sit et quare tandem evanuerit? Quamvis haec quaestio non solum nostram regionem sed totam patriam, imo totam fere Europam spectet, tamen congruum duxi illam hîc attingere. Cl. THIJSSEN, suis disquisitionibus hac de re institutis ductus, non alienus est ab opinione, ab aliis etiam defensa, pestem non pro distincta morbi specie esse habendam, sed potius pro febre maligna putrida epidemica vehementiore, ex graviori causarum aut rerum externarum efficacia valde aucta. »Inderdaad," inquit »zoo men over- »weegt, dat vele wezenlijke pesten uit gebrek en »uit bedorven voedsel hunnen oorsprong nemen, »dat zij veelal, gelijk de *Brabandsche*, door Epi- »demiën van eenen rotachtigen aard worden vooraf- »gegaan, of even als de *Ukrainsche* en *Cracau- »sche* in aanhoudende en kwaadaardige koortsen, »of als de *Bredasche* in scheurbuik eindigen; in- »dien men verders de weinig verschillende oorza- »ken, toevallen en verschijnselen der pest, rotziek-

» ten, dijsenteriën, scheurbuik, gele koorts of oor-
» logstyphus vergelijkt, zou men tot het besluit ko-
» men, dat pest en rotziekten van hetzelfde begin-
» sel afhangen, dat door climaat, leefwijze en plaat-
» selijke omstandigheden gewijzigd, aan de heer-
» schende ziekten eenen bijzonderen stempel oplegt,
» en naar mate de heerschende ziektegesteldheid naar
» het rot- of onstekingachtige overhelt." (63)

Aliis vero talis horum morborum consideratio non placet, et contendunt, ita morbos alias satis diversos inter se nimis confundi et, licet etiam revera limites inter hos morbos, propter frequentem complicationem et variationem, non semper ita in oculis cadant, ut discerni possint, observationem tamen accuratam morborum simplicium satis docere, illos omnino pro diversis speciebus esse agnoscendos, quae singulae suas habent causas suasque formas. Inter hos nuperrime Cl. Bartels (64) febrium nervosarum pathogeniam et aetiologiam earumque cum peste, febre putrida, febre flava etc. vinculum et discrimen insigni cum acumine illus-

(63) O. c. p. 207 et 208.

(64) *Die gesammten nervösen Fieber, in sich begreifend die eigentlichen Nervenfieber, nebst den Fieberseuchen und Wechselfiebern, theoretisch untersucht und practisch abgehandelt von* Dr. E. D. A. Bartels, B. I, Berlin 1837.

trare et singulis febribus nervosis dictisque morbis suum in Nosologia attribuere locum tentavit. Habet ille Auctor pestem pro morbo in Oriente et quidem Aegypto meridionali indigeno, hîc non solum contagione, sed etiam miasmate adhuc de novo oriente; cum qua opinione omnino convenit sententia de pestis in Aegypto meridionali origine lata a Doct. PARISET, qui cum aliis viris eruditis ex Gallia, publica auctoritate, ante aliquot annos ibi hanc rem de industria indagavit. Summa examinis horum Virorum fuit; non Aegypti solum, non inundationes Nyli, nec climatis aestum seorsum aut una pestem illic provocare, sed illam adscribendam esse putredini animali, cui perversa et neglecta mortuorum sepeliendorum ratio valde familiaris materiem praebet uberrimam, et dictae causae externae adeo favent; — noxiosque illos putredinis effectus veteres Aegypti incolas perspectos habuisse, ita ut inde etiam antiquus cadavera tam animalium, quam hominum, materiis balsamicis antisepticis condendi mos, revera in sanitatis, non primum in religionis gratiam, repetendus foret (65). In solo igitur Aegyptiaco natali pestis orientalis cum bubonibus morbus est endemico-contagiosus. Potest vero sua contagione, rebus

---

(65) *Mémoires sur les causes de la Peste*, Paris 1830.

externis faventibus, constitutione epidemica, extra patriam suam evagari et ita in morbum endemico-epidemico-contagiosum abire. Aliter res se habet cum febre flava, cum haec etiam extra terminos verae suae patriae, nempe regionis ad sinum Mexicanum sitae, in America, nonnunquam grassari soleat, pro latioribus ipsius causarum miasmaticarum finibus, et absque manifesto contagii dispersu (66). Longe facilius quam febris flava, ipsa febris intermittens, alias determinatis adstricta locis, uti nostris in oris vere endemica, in aliis etiam plagis, si loci conditio, palustris facta, modo faveat, mox prodire solet, et contra abire, causa remota, paludibus nempe exsiccatis. Discrimen illud miasmatis magis minusve peculiari indoli tribuendum videtur. Quo peculiarius scilicet est miasma, eo magis morbus inde ortus loco circumscripto adstrictum se tenet et contra.

Difficillimum interea omnino manet hanc de pestis origine quaestionem ex observatis pestium Epidemiis dirimere, cum certo certius, uti jam animadverti, cum peste vera saepe confusae sint febres aliae graves malignae. Ita in Epidemia anni 1250, in nostra regione oborta, omnes fere cau-

---

(66) Bartels o. c. inprimis § 312.

sae conspirabant, quales in Aegypto pestem provocare dicuntur, uti solum alluviale, inundatio maris, aestas fervida et animalia mortua putredini exposita. Dubium vero movi, et jure, ni fallor, an quidem pro vera peste iste morbus sit habendus. Nec, si ad alias respiciamus Epidemias, quae ad veram pestem pertinent, uti illae annorum 1315, 1349, 1575—1576, 1623, 1635, 1656, 1666, hae originem hisce in locis cepisse, at potius introductae fuisse videntur. Cum enim evictum sit, pestis ut et aliarum febrium exanthematicarum contagium diu posse latere et silere, nihil impedit, quominus de nostris pestis Epidemiis, nec non de talibus a THIJSSEN allatis, in quibus de illius transvectione extrinsecus nihil notum est, statuamus, illam sub causis faventibus, pridem multo frequentius obviis in Europa, belli aliisque, quae illud concomitari solent, uti famis etc., calamitatibus toties afflicta, ex hujusmodi contagio latente denuo erupuisse et caput extulisse, inprimis in urbibus obsessis, — et sic una cum aliis febribus malignis grassatam, non vero ex iis exortam fuisse. Quidquid sit, hisce causis demum magis magisque diminutis, tum et curae prophylacticae meliori satis tuto tribuere possumus, quare pestis tandem nostras oras Europaeque cultiorem partem deseruerit et intra arctiores nunc retineri possit limites, quos raro transgreditur.

Non minus difficile, quam pestem veram ab aliis morbis Epidemicis discernere, negotium est, hosce accuratius distinguere, cum vulgo sub nomine febrium pestilentialium, putridarum aut malignarum designentur. Sub hisce vero inprimis latere febrem putridam, febrem nervosam, catarrhalem, ipsumque typhum, hoc nomine antiquitus ignotum, suspicari omnino licet. Quamvis veteribus, secundum Pathologiam humoralem GALENI, omnem fere febrem morbumque gravem putridum vocare placuerit, tamen non infitiendum erit, febrem putridam vel hujusmodi morborum indolem, in humorum, inprimis sanguinis, prava mixtione sitam, multo magis olim, quam hodie fuisse familiarem. Huic sane vivendi genus emendatum, victus salubrior, major munditia minus favere debent, quare hanc ob causam nunc febris vere putrida rarissima sit habenda, nec alii morbi graves hanc indolem facile exprimant, quin vel ipse typhus nomen vernaculum *Rotkoorts* non amplius mereatur.

Hunc vero morbum adhuc satis esse vulgarem per omnem fere Europam, imo in urbibus, inprimis apud pauperes, fere semper, uti nostra in urbe, sporadice et interdum epidemice observari, adeo ut pro morbo Europaeo utique haberi possit, ex ipsius origine et natura explicare licet. Constat enim, ty-

phum verum contagiosum inprimis ex ipsis oriri effluviis humanis, unde habitationibus, ubi homines nimis magno numero vivunt, nec aër satis renovatur, proprius est. Etsi igitur sani non immunes maneant, multum tamen praeterea ad contagium alendum et suscipiendum conferunt paupertas, immunditia, aliave, tam morum corruptela, quam corporis conditio depravata. Ad has causas si attendamus, non est quod miremur, typhum etsi forsan mitiorem nec adeo in putridam febrem vergentem, adhuc nos omnino vexare, nec posse arceri.

Quemadmodum peculiare putredine animali productum contagium probabilis pestis causa habetur, et typhus ex exhalationibus ipsis humanis durante vita oritur, ita effluvia, putredine magis vegetabili ex solo lutoso et paludoso oborta, aut sic dictum miasma paludosum originem praebet febribus intermittentibus. Hanc si spectemus originem, elucescit, quamobrem hae febres ab antiquissimis aevis ad nostra usque tempora hisce in locis fuerint vere endemicae et non raro epidemicae. Nostrum enim solum depressum, inprimis argillosum, multis plantarum exuviis aliisque materiis, putredini hujusmodi faventibus, repletum, horum effluviorum offert fontem uberrimum. Hinc quovis fere anno, praesertim in aestatis fine, febres intermittentes observantur vulgo

biliosae, eo frequentiores et graviores, quo plures et solitis majores accedant causae occasionales, uti sunt inundatio praesertim aquae marinae, aestas fervida sicca diuturna, quibus omnibus fermentatio in solo augetur. Idem locum habet in locis, alias salubribus, ubi agri antea aqua tecti hac liberantur, vel fossae effodiuntur etc. Tempestatem calidam vel soli humiditatem, quin ipsam maris inundationem per se singulatim non ita tales epidemias provocare probat experientia, illas saepe non erupuisse post aestatem calidam, nulla praegressa inundatione, nec hanc, quum illa deërat, secutas esse. Aestates calidae quidem, uti annis 1811, 1822 etc. accidit, febres biliosas excitare, et inundationes febres intermittentes solito frequentiores reddere valent, verum, ut Epidemiae graves producantur, dictae causae una conspirare debent, et quo magis illud fiat, eo vehementior et generalior erit morbus, uti inter alias Epidemiae annorum 1237, 1280, 1779—1781 et 1826 testantur. Si praeterea hisce accedant rerum inopia, fames, bellum etc., uti olim frequentius, non potest, quin hae febres malignam induant indolem et in febres putridas transeant aut has comites habeant (67).

(67) Conf. *Dissertatio Pathologico-medica inauguralis, de effluviorum paludosorum, in regione inprimis Groningana, origine, natura et efficacia noxia in corpus humanum, Auctore* L. T. Schleurholts, Gron. 1830.

Cum porro calor tantum faciat ad has Epidemias provocandas, in promptu est ratio, quare febres intermittentes aestivales raro purae et plerumque biliosae sint naturae, et contra quare febres biliosae ipsae raro purae in hisce locis maritimis argillosis grassentur, quales quidem in locis patriae arenosis elevatioribus durante aestate fervida familiares sunt, uti de Epidemia anni 1779—1781 notum est. Hinc etiam dysenteria, ibi frequens, in oris nostris rara est. Experientia enim satis evictum est, calorem inprimis ad morbos disponere, in quibus hepar prae aliis organis et quidem pulmonibus activum est, adeo ut horum vices gerat.

Quomodo ceterum miasma paludosum febrem intermittentem producat, non ita elucescit, quia ipsius aeque ac aliorum miasmatum et contagiorum naturam ignoramus. Chemia ad hunc usque diem has materias singulares explorare et analysi submittere frustra tentavit; desunt reagentia, quorum ope dignosci possent, quin propter subtilem indolem omne fugiunt et frustrantur examen. Hisce profecto adscribendum, miasmata illa in atmosphaera non detegi posse, etsi de eorum praesentia non dubitandum, quae effectibus tam manifestis se palam faciunt. Quis quaeso negaret contagium scarlatinosum aut morbillosum aliave, quia nulla arte adhucdum

verum horum principium exploratum habemus?

Multi quidem accusant nonnulla gaza, inprimis carbonicum et hydrogenicum eorumque conjunctiones, uti gaz hydrogenium carbonicum, quae in locis paludosis e solo, tempore aestivo, emanant et fermentatione aut putredine vegetabili generari solent; hisce alii addunt gaz azoticum ex putredine animali magis ortum, ut de aliis taceam substantiis in aëre ut et de rore, in locis paludosis collecto, qualem MOSCATI examinavit, detectis. Sed vel ipsa recentissima hac de re instituta experimenta a Viris expertissimis BRUNNER (68), JULIA FONTANELLE (69), BOUSSINGAULT (70) aliisque non majorem attulerunt lucem, quamvis illorum operandi ratio, qua insigne aëris atmosphaerici volumen indagari potest, admodum sit laudanda et spem offerat, tandem quoque haec naturae mysteria homini magis perspecta fore. In his vero dictis gazibus solum miasmata quaerere, non convenit cum observatione, haec prorsus alium, quam miasmata producere effectum in corpus humanum; possunt quidem rudimenta seu seminia constituere, ex quibus

---

(68) MEYLINK, *Schei-, Artsenijmeng- en Natuurk. Biblioth.* Oct. 1833, p. 212.

(69) *Journal de Chemie Médic.* Dec. 1834, p. 709.

(70) *Nat. en Scheikundig Archief van* G. J. MULDER, 1835, p. 36.

miasmatum principia originem ducunt, nisi, ut probabilius videtur, modo iis vehicula praebeant, uti etiam de aquae vapore constat. Praeter tales enim materies gaziformes aliud quid formari et accedere videtur magis imponderabile, ne dicam dynamicum, sensibus nec adminiculis ullis nostris percipiendum aut eruendum. Sic profecto si materiam variolosam aut vaccinam sumamus, talis mucus aut pus certe pro ipso principio contagioso non est habendum, sed illud sub hacce materia latet, nulla arte ab hac separandum. Uti singula contagia sua habent vehicula vel corpora, quibus prae ceteris teneri aut adhaerere solent, sic etiam miasmata singula suas habere possunt substantias, quibus involuta sint et vehantur; et hinc talium gazum aliarumve materiarum alienarum in atmosphara reperiundarum notitia hoc respectu manet semper maximi momenti, cujus ope vera miasmatum principia forsan melius perspicere licebit. Qamdiu autem horum natura lateat, tamdiu quoque ipsarum agendi ratio in organismum humanum latebit. Ex abundantia gazis hydrogenii, inprimis carbonici in aëre paludoso quidem explicari quodammodo posset venosa sanguinis indoles, qua homines, ibi febre intermittente correpti, vulgo laborarent, et biliosus harum febrium character — illa duntaxat hisce vitiis suas contribuere partes non im-

probabile est; sed ipsius febris origo non nisi peculiari miasmatis in nervos efficacitati erit tribuenda. Febrem etenim intermittentem simplicem pro vera affectione nervosa inprimis systematis organici esse habendam Doct. Bartels omnino consentirem.

At non ulterius in febris intermittentis theoria explicanda pergam magis subtili, quam arti medicae fructuosa. Quamvis febris naturam non cognoscamus, tamen laetamur remedium praestantissimum nobis a Natura esse largitum, quo ipsius vis saltem compesci possit, cum, uti cum peste locum habuit, vel numquam illud exspectandum sit, hanc febrem e solo nostro ipsi natali posse arceri, aeque minus ac hujus soli naturam mutare aliasque causas occasionales, uti inundationes, prohibere omnino nobis licebit.

TANTUM.

THESES.

I.

Non assentior viris Cl. MAGENDIE, RICHERAND, *aliisque statuentibus, iridis motus a fibrarum carnearum praesentia esse repetendos.*

II.

Contra virum Cl. WEBER *contendo, nutritionem cartilaginum articularium, ope vasorum sanguiferorum, per eas distributorum, non procedere.*

III.

Signum diagnosticum graviditatis certum in primis sex mensibus non datur.

THESES.

IV.

In plurimis casibus haemoptoë potius effectus, quam causa phthiseos est habenda.

V.

Tubercula pulmonum ab inflammatione oriri non videntur.

VI.

Licet vasa secernentia frequentius quidem hydropem generent, interdum tamen causa morbi proxima residet potius in vasis absorbentibus.

VII.

Tartarus emeticus remedium est efficacissimum in variis pectoris inflammationibus, praecipue pulmonum et viarum aëriferarum.

VIII.

Non assentior iis, qui statuant, affectionem intestinorum ulcerosam in typho oriri a scrophulis, quibus typhus sit complicatus.

IX.

Neque iis, qui illam affectionem pro causa typhi primaria habeant.

X.

Saccharum optimum interdum praestat remedium in morbo scorbutico.

XI.

Si funiculus umbilicalis, durante partu clunibus vel pedibus praeviis aut instituta versione, pressionem patiatur, mors infantis melius expli-

catur ex anaemia, quam quidem ex accumulatione sanguinis.

XII.

In metrorrhagia post partum ex atonia uteri, valde periculosam censeo, quam proposuit Doct. LEROUX, *glomeris ope obturationem vaginae.*

XIII.

Synchondrotomiam nonnullis in casibus indicatam statuo.

XIV.

Paracenthesis vesicae urinariae supra symphysin ossium pubis multa praebet commoda prae illa per intestinum rectum.
